

Hinc Alexis e gentiliura numero præ senio ægre lenteque incedens rogatus quid ageret? *Paulatim*, inquit, *morior*, Stob. ser. CXV.

V. Ob humani corporis sordes. Hoc enim quid est aliud quam cloaca cinerum et foetidissimarum rerum, in qua velut in loco immundo, quidquid reponitur, statim corrumpitur? Nulli fere in illo meatu, per quos non omnis generis sordes egerantur, quales etiam sunt aures, nares, os, ipsique oculi; ut homo non immerito vocari *sepulcrum dealbatum* possit. Hoc ethnicus ille Plotinus perpendens, nunquam passus est corporis sui effigiem depingi: satis esse sibi asserens, quod onus tam immundum tota sua vita circumferre cogere. Quare sicut Daniel Balthasari de idolo Beli, (quem is vivere credidit coluitque) dixit: *Ne erres, rex, iste est enim intrinsecus luteus et forinsecus æreus, neque comedit aliquando*, Dan. XIV. Ita hodie dicit tibi Ecclesia. Ne erres, homo, teipsum super alios extollendo; pulvis enim es et luteus intrinsecus. Ne erres in amandis vel colendis aliis plusquam decet, quia licet foris ærei vel aurei appareant, intus tamen lutei sunt, pulvis sunt.

VI. Denique, ob peccatum, quod hominem licet corpore sanum et speciosum, intus tamen exedit et in pulverem convertit (quo modo vermibus pomum, quod extra parietem integrum, sanum et rubicundum, intus tamen corrosum et in cinerem redactum est) denigrat et commaculat pulverisque similem, instabilem, levem et proclivem facit. Hinc enim Psalmo I. dicitur *impium tamquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ*. Ventus iste mors est, quæ ita tandem abripit e vita impios, ut nullum eorum appareat vestigium, sed cum suis opibus, pompis, voluptatibus pereant in æternum. Hanc ob causam blasphemus Sennacherib cum exercitu suo appellatur pulvis, Isai. XVI. *Finitus est pulvis: deficiet, qui conculcabat terram*. Ut enim pulvis levi venti flatu dissipatur; ita Sennacherib cum exercitu suo per unum angelum cæcus et exterminatus est una nocte, ac si scopis eversus vel a vento difflatus esset, IV. Reg. XIX. Vult ergo dicere Ecclesia: Vide, o peccator, in quam tetrum et levem pulverem peccando conversus sis: noli te foris contemplari, intus intueri, in animo considera; pulvis factus es, ibi te vermibus rodit et magis magisque levem et pronum ad graviora scelera reddit tandemque nisi respicias abripiet te ventus mors et projiciet a facie terræ, imo et a facie Dei in cloacam æternæ damnationis, quam a nobis avertat Deus.

CONCIO V.

QUID SIBI VELIT CINIS CAPITI ASPERSUS.

I. Admonet nos originis nostræ — II. Monet nos fragilitatis nostræ. — III. Hortatur ad poenitentiam. — IV. Hortatur ad peccatorum fugam. — V. Hortatur ad contemptum rerum terrenarum.

THEMA.

Pulvis es et in pulverem reverteris. Gen. III.

Perquam credibile est, quod vulgo fertur et refertur ab eruditissimo sanctæ Scripturæ interprete P. Cornelio Cornelii societatis Jesu, in cap. I. Thren. Turcarum legatum aliquando apud regem Galliæ Parisiis demoratum circa bacchanaliorum tempora; qui cum ad imperatorem suum rediisset, rogatus quid novarum rerum spectasset apud Christianos, vidisse se aiebat omnes Christianos toto triduo insanos, adeoque de potestate mentis dejectos per omnes urbium plateas undique circumcursasse: exacto vero triduo illo, omnes modico pulvere super capita eorum asperso ad se rediisse et sanam mentem recepisse. Serione an joco hæc ille quidem dixerit, nescio profecto: eum tamen a vero haud procul aberrasse reor. Si quis enim bacchanantium mores tridui peracti consideret, juxta communem appellationem non hominum, sed stultorum et insanorum esse dicet: si deinde hodiernam cinerum cæremoniam et Christianorum repentinam modestiam morumque compositionem aspiciat, fatebitur haud difficile omnes sibi restitutos, pulsaque stultitia resipuisse. Quam quidem metamorphosin non immerito tribuimus, sacris illis cineribus, qui hodierna die benedicuntur et in vertices nostros sparguntur. Hoc enim si, quid sibi velit, pensiculate contemplemur, sufficiunt vel soli ad stultitiam pellendam, et veram sapientiam homini comparandam. Nam si illa demum vera sapientia est, quæ omnes suas actiones ad finem suum ita dirigit, ut ab eo non dissentiant: profecto mortis memoria, cujus admonent nos cineres illi, quæque nos ad beatum vitæ finem præparat, veram continebit sapientiam. Quamobrem Plato ille philosophiam nihil aliud quam mortis meditationem esse voluit. Denique, Jeremiam Deus cælestem sapientiam docturus remisit ad domum figuli, Jerem. XVIII. *Descende in domum figuli*, inquit, *et ibi audies verba mea*. Vidit ergo propheta vas e luto fieri et mox iterum dissipari; indeque intellexit conditionem generis humani, cujus parens Adam ab Adama, hoc est, terra rubra dictus et factus est, in eandem

resolvendus. Hoc sapientissimum est gymnasium, ubi non dialecticis sophismatibus, sed evidentissimis demonstrationibus veram discere sapientiam possumus. Cinis inquam est cæmeterium, quo nos hodie remittit Ecclesia, dum capita fidelium cinere conspergit, ut rationis, quæ in capite residet, intelligentia disquiramus, quid sibi hic cinis velit, quod nunc exponemus.

I. Admonet nos originis nostræ ac vilitatis propriæ, quasi dicat nobis: Memento homo qui et unde sis? E pulvere et terra. Scrutantur multi veterum annales, ut majores suos, avos, abavos, atavos investigent, eorumque stemmata, insignia et nobilitatem probent; perquirunt etiam arces, sepulcrorum epigraphas, defunctorum clypeos, etc. sed parum aut nihil inveniunt. Nam ibi majores suos, quales olim tantum fuerint, non quales nunc sunt, deprehendunt. Annales, genealogiæ, aliaque monumenta instar speculorum concavorum sunt, quæ res objectas, inversim representant, quod supra est, infra; quod infra est, supra ponunt. Ita enim illa progenitorum quidem gloriam, opes, dignitates, titulos, officia, quæ jam infra terram et in pulverem conversa sunt, jactant et ostentant, quasi adhuc supersint: cinerem vero illorum, qui adhuc superest, infra terram ponunt, tegunt, obliviscuntur. Sepulera specula plana sunt, quæ rem ut est, majores quales revera sunt representant. Unde si vis videre originem stemmatis tui, aperi sepulturam: ibi enim primam materiam, ex qua formati omnes, pulverem reperies. Persuaserant regi Balthasar sacerdotes Bel, Belum deum esse, qui comederet cibos, ei apponi solitos. Sed advertens fraudem Daniel, jussit pavimentum templi cinere conspergi. Tum de nocte, more suo, ingressi sacerdotes, devorarunt cibos. Mane ergo ostendit Daniel regi vestigia sacerdotum, dicens: *Ecce pavimentum, animadvertite cujus vestigia sint hæc*, Dan. XIV. Hunc in modum aliqui persuadent proprio capiti, quasi ipsi dii quidam terrestres sint vel nescio quid supra alios homines; quia nimirum nobiles, generosi, illustres sunt, ideoque devorant alios se inferiores, subditos præsertim, quasi omnia eis licerent; sed dejiciant quæso oculos ad templorum pavimenta, aspiciant sepulera et cineres majorum suorum, tales paulo post futuri, animadvertant quorum vestigia sint hæc; nonne mortuorum? Nonne cinerum? Gloriosum animal pavo est, flabellum suum expandens et modo ex illa parte contuens seque in eo quasi demirans: verum ubi in pedes, quos atros et turpes habet, oculos demittit, dicitur pennas suas illico colligere rotamque

dissolvere, non sine stridore et gemitu, ut præter experientiam scribit Anglicus, l. XII. propriæ. cap. XXXI. quasi magis erubescat de pedum foeditate, quam insolescat de pennarum elegantia. Itaque avis obliviscitur suæ pulchritudinis dum conspicit in se aliquid deformæ: eecur igitur homo non potius attendit ad cinerem e quo constat et in quem brevi desinet, quam ad externos alios splendores sibi agglutinatos, quibus brevi spoliabitur? Scribant aliqui (Jo. Gritsch. in quad.) Alexandro Magno missum aliquando fuisse a viro sapiente lapidem pretiosum cum hoc monito: Ne extolleretur ob tot partas bello victorias: siquidem lapidi illi similis esset, qui talis sit naturæ, ut cæteris qui gravis valde, injectu modici pulveris levissimus fiat. Monitum hoc quam verum esset, expertus saltem est, quando *decidit in lectum et cognovit, quia moreretur*, ut dicitur I. Macchab. I. Utinam nos tempestivius hoc ipsum cognoscamus! Certe Ecclesia in hunc finem injicit nobis cinerem, ut vilitatis nostræ memores, fastum deponamus.

II. Admonet nos fragilitatis nostræ. Quid enim cinis nisi reliquiæ incendii: et quid vita nostra, nisi incendium quoddam, in quo calor naturalis quotidie, imo omni momento depascit humidum, ut vocant, radiale, corpori insitum, adeoque corpus quoque ob pugnam contrariarum qualitatum, quæ in dies frangunt et paulatim corrumpunt hominem, quo modo ignis, lignum aut oleum in lampade? Hinc non absurde quidam dixit hominem esse quid compositum ex ligno et igne. Id enim confirmat Sapiens, Sap. II. in persona impiorum loquens: *Fumus flatus est in naribus nostris: et sermo scintilla ad commovendum cor nostrum, quæ extincta cinis erit corpus nostrum, etc.* Ubi fumus, ibi ignis et incendium aliquid: ubi incendium, ibi pulsus campanæ tumultuariæ ad convocandum populum restinguendo incendio. Atqui fumum dum spiramus, continuo efflamus ex ore et naribus nostris, incendium ergo prodit. Deinde, pulsus cordis nostri, quid nisi campana tumultuaria et sermo scintillæ seu vox incendii admonens nos periculi nostri, ne tardemus surgere et occurrere huic incendio? Verum ex hoc impii pessime inferunt ibi: *Venite ergo, fruamur bonis: vino pretioso et unguento nos impleamus: coronemus nos rosis antequam marcescant, etc.* Ut enim stulte et perverse ageret, qui flagrante domo sua diceret: Venite socii, instruamus convivium, paremus mensam, instituamus choreas, etc. antequam nos cum omni nostra suppellectile et substantia depascat hoc incendium; ita omnino stulte argumentan-

tur impii, belluandum, potandum, scortandum, ludendum esse antequam corruat in nos domus nostra ab igne jam correpta. Quin potius monet flatus narium, monet pulsus cordis nostri, ut animam nostram et quicquid charum habemus, subtraham huic incendio et in tuto reponamus, adeoque transituris bonis minime adhaereamus; quemadmodum sanius et verius argumentatur apostolus, I. Cor. VII. *Fratres, tempus breve est, inquit, reliquum est ut qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi.* Quemadmodum ergo cinis levi aura tollitur et dissipatur: ita etiam homines sæpe uno haustu frigidiores, vel aura minus salubri e vita abripiuntur, imo non est quod aliunde gladium afferat mors ad jugulandum hominem, in ipsomet inquit anima, contrarias qualitates, quibus eum perimat. Quare, o mortales, non cum impiis illis, sed cum apostolo concludite, et quemadmodum in hodierno evangelio Dominus ait: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt.* Nolite corpori, quod a tinea nativi caloris perpetuo arroditur et a contrariis qualitatibus velut furibus sensim perfoditur, commoditates et voluptates querere: sed animæ potius vestræ in futurum providete.

III. Hortatur ad pœnitentiam, de qua dixit Dominus, Luca XIII. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Idque confirmat mox parabola ficulneæ: *Quam habebat quidam plantatam in vinea sua et venit quærens fructum in illa et non invenit. Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce annus tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac et non invenio. Succide ergo illam. Ut quid etiam terram occupat? At ille respondens dicit illi: Domine, dimitte illam et hoc anno usque dum fodiam circa illam et mittam stercora: et siquidem fecerit fructum; sin autem, in futurum succides eam.* Ficulnea hæc Christianum denotat, qui in vinea Ecclesiæ plantatus a Christo, fructus pœnitentiæ et honorum operum dulces ac bonos (quales a ficulneis expectamus) ferre debet atque idcirco multis annis sæpe expectatur, et in vinea toleratur. Verum quid multi, si non plerique, agunt? Ecce annos tres, hoc est, tres ætates sine omni fructu degunt; adolescentiam transigunt in levitatibus, vestium luxu, ludis, choreis; juventutem in cubilibus et impudicitis, in commensationibus et ebrietatibus, in contentione et æmulatione; virilem ætatem in congerendis opibus, in quærendis dignitatibus et honoribus aliisque mundi negotiis. Ubi igitur fructus? Quid aliud expectandum nisi ut dicatur: *Succide ergo, ficulneam. Ut quid terram occupat? Sed adest inter hæc Ecclesiæ*

cultor, pontifex cum universo clero sese interponens suamque diligentiam offerens, quo ficulneam reddat frugiferam. *Domine, inquit, dimitte illam et hoc anno, usque dum fodiam circa illam et mittam stercora.* Duplici hac ratione jugari solent arbores ad ferendum fructum, fossione scilicet et stercoracione. Ergo summus Ecclesiæ pastor et cultor indicit et mandat nobis per quadragesimam opera pœnitentiæ, jejunium maxime et confessionem, quibus fodit quodammodo circa nos, noxias vitiorum herbas, earumque radices evellendo, corda nostra ad cælestis gratiæ humorem recipiendum aptando. Deinde, mittit stercora, dum hodierna die cinerem nobis inspergit et per hoc memoriam mortis, quæ alioquin infrugiferas arbores excindit et in ignem abjicit, mentibus nostris ingerit. Quid enim cineres, in quos redigendi sumus, nisi peccatorum nostrorum reliquiæ et fœda excrementa? Quando Adamo dictum est: *Pulvis es, et in pulverem reverteris,* nisi postquam is peccavit? Ergo stercora ista imponuntur capitibus et capillis nostris (capilli enim quasi radices hominis sunt, qui est arbor inversa) ut peccatorum nostrorum fœditatem eorumque malorum, in quæ peccando dejecti sumus, gravitatem expendamus, indeque pœnitentiæ operibus animas nostras impingemus. Ita enim Job sedens in stercore, omnia quæ amiserat, recuperavit. Abraham dum se pulverem et cinerem agnoscit et fatetur gratiam Dei invenit. Ninivitarum rex sedet in cinere et iram Dei mitigat atque amolitur a tota civitate. Idem nos obtinebimus si eadem ratione cinerem susceperimus. Plinio auctore, l. XVII. cap. IX. et l. XVIII. c. XVII. cinis utilissimus est arboribus, radicibus earum aggestus; nam et noxias herbas absorbet et radices fovet atque impinguat, et vermes enecat fugatque. Hinc Siciliae agri Ætnæ adjacentes, ob crebram cinerum ejectionem feracissimi dicuntur. Idem efficiet cinis sacer in cordibus nostris, si debito modo excipiat. Quomodo enim non absorbet appetitum voluptatum, opum, honorum, quæ sunt tres peccatorum radices, si serio attendas brevi te cinerem futurum? Quomodo non elides omnes mundi, carnis, dæmonis insidias et illecebras, si te cinerem cogites, cras forte moriturum? Quomodo non bonorum operum exercitio impinguabis animam tuam, si consideres propinquam mortem, post quam nemo potest operari? Quomodo non detestaberis et negabis quodammodo scelera tua, quæ te mortis et perpetuæ quidem reum fecerunt.

IV. Hortatur ad peccatorum fugam, ne in posterum scilicet peccemus. Habet enim mors etiam

cogitata nescio quid horroris ad continendum animum intra honestatis limites. Quotidiana etiam experientia docet, quod in illis ædibus, in quibus defunctus jacet, cessent gaudia, choreæ, elamores; omnia silent et pavent; eibus non sapit, somnus fugit, voluptas exulat. Unde hoc, nisi quia mors præ oculis cernitur? Hinc Deut. XXXIV. sepelivit Deus Moysen in valle Moab contra Phogor, ubi fornicati sunt Hebræi, Num. XXV. ut memoria mortis esset illis remedium fornicationis. Lupum ferunt quantumvis famelicum, ibi non prædari aut invadere hominem audere, ubi pulverem tormentarium sparsum videt vel odoratur, quasi animadvertat quid et quantum damni sibi ab eo pulvere imminet. Ergo et Ecclesia funestos illos cineres in capita nostra spargit, ut mortis commonefacti consideremus, quanta nobis damna mors inferre queat, si præsertim in peccatis existentes deprehenderit: ac proinde cane pejus et angue peccata fugiamus. Albertus M. in libro de vegetab. scribit, corvos in arbore nidificantes, si inter illius arboris corticem et lignum cinis vitri ponatur, non posse pullos excludere. Corvi dæmones sunt, qui in hominibus quasi in arboribus per suggestiones suas nidificant pullosque peccatorum per consensum excludere volunt. Quid igitur agendum? Cinerem vitri, hoc est, memoriam mortis et fragilitatis humanæ includamus cordibus nostris. Cogitemus id quod S. Bernard. serm. in illud Job, In sex tribulat. scribit: « Quis ille pudor erit, o anima mea, cum dimissis omnibus, quorum est tibi jucunda presentia et gratius aspectus cohabitatio ipsa tam familiaris, sola ingrediens incognitam penitus regionem, occurrentia tibi catervatim ruere teterrima illa monstra videbis? Quis in die tantæ necessitatis occurret? Quis tuebitur a rugientibus præparatis ad escam? Quis consolabitur? Quis deducet? Filioli mei memoremur hæc novissima nostra, ne peccemus. » Hæc Bernard. Naamam ille Syrus in Jordane a lepra sanatus et in cognitione veri Dei instructus ab Eliseo, petiit ab eo, liceret sibi onus duorum burdonum de terra Israel ferre secum in Babylonem, ut in aula regis et templo idolorum constitutus, beneficio illius terræ velut sanctæ commoneretur adorandi Dei veri, non idoli, IV. Reg. V. Ingeniosa profecto religio, quam nos quoque imitabimur magno nostro fructu, si terram seu cinerem duorum temporum, præteriti et futuri, cogitatione expendamus: scilicet quidnam ante multos annos fuermus, et quid post paucos futuri simus. Qua duplici consideratione onerat nos hodie quodammodo Ecclesia, dum cinere conspergit dicens: *Memento,*

homo, quia pulvis es, et in pulverem reverteris. Proderit hic pulvis, proderit hæc meditatio; quoties in Babylone, hoc est, in conviviis, in choreis, in tabernis, in spectaculis, in pravis societatibus aliisque mundi illecebris et gravibus tentationibus constitutus fueris, ut ne adores Deum alienum, ne des manus carni, mundo, dæmoni. *Vade in pace,* dicebat Eliseus Naamam sic armato. Et tu quoque *vade in pace,* si cinerem jugiter præ oculis habens, abire in Babylonem et periculosa loca debeas.

V. Hortatur nos ad contemptum rerum terrenarum. Vere enim S. Hieronymus ait: *Facile contemnit omnia, qui se quotidie cogitat moriturum.* Solinus, cap. XXIII. scribit, oleum quoddam incendiarium dari ex herbæ alicujus infectione in Pontica, quod inflammatum aliter extingui, nisi jactu pulveris non potest. Ita prorsus appetitus noster ex terrenarum rerum usu et societate infectus, eas tanto amoris ardore prosequitur, ut nullo sæpe remedio sopiri et abstrahi queat. Itaque Ecclesia pulverem nobis injicit, ut vel mortis cogitatione et horrore, quasi efficacissimo remedio, tandem abstracti desinamus deperire sæculum. Mirum quid referunt Plinius, l. XI. c. XXXVII. Suetonius in Caligula, c. I. c. V. de Germanico viro illustrissimo, patre Caii Caligulæ imp. quod cum occulte propinato veneno a Tiberio enectus et de more corpus ejus rogo impositum esset, solum ejus cor comburi non potuerit, ob vim scilicet veneni poros undique constringentis, ut calori aditus non esset. Ergo re intellecta, probatissima theriaca cor perfusum est, sicque nullo negotio exustum, superata veneni vi. Hujusmodi cor habent plurimi mortales, adeo nimirum concupiscentiæ veneno constrictum, ut Dei verbo, quod est quasi ignis, Jerem. XXIII. et clamoribus concionatorum nulla ratione pervium sit aut cedat. Providit ergo Ecclesia potentissimam theriacam, cinerem videlicet, quo venenum id expellat. Quid enim concupiscentia appetet, si consideres te crastina die omnia dimissurum iis, qui nullas tibi gratias referent, tu interim fortasse arsurus in inferno? Quomodo voluptates, opes, honores concupisces, si attendas te ex his in articulo mortis nihil esse mesurum præter laborem et dolorem, lacrymas et conscientiæ remorsus? Quid e rebus sæculi desiderabis, si perpendas omnia in eo relinquenda et te nudum presentandum coram Dei tribunali: *Sanguisuga duæ sunt filiae,* inquit Sapiens, Proverb. XXX. *dicentes: Affer, affer.* Quæ hæc sanguisuga nisi concupiscentia insatiabilis? Ut enim sanguisuga sanguinis appetentissima est, ita ut haustum sanguinem evomat, quo recentem avi-

dius sugat, ut refert Isidorus, I. XII. etym. c. V. ita et concupiscentia rerum terrenarum siti æstuantissima, ut de ea exclamet S. Augustinus: *O rabies omni fine carens!* serm. XL. ad frat. in eremo. Duæ ejus filie sunt appetitus concupiscibilis et irascibilis, dicentes: *Affer, affer*, quia nullis opibus, nullis honoribus, nullis voluptatibus satiari possunt. Quodnam igitur remedium hujusmodi rabiei? *Parum cineris assume*, inquit Bellovacensis, lib. X. spec. majo. cap. CLV. *et pulveriza super os hirundinis; statim enim se contrahit et ab appetendo cessat.* Magna haud dubie cineris vis! Hoc ergo nunc et Ecclesia facit, dum in capita nostra cinerem spargit dicens: *Memento quia cinis es, et in cinerem reverteris.* Si enim cinerem nos esse serio perpendamus, contemni non detrectabimus, siquidem paulo post pedibus calcandi sumus; ventrem non saginabimus, quem novimus paulo post vermium escam futurum; opes non tam avidè per terras quæremus, cum sciamus nos præter sindonem unam nihil ad sepulcrum elaturos; honores non ambiemus, cum sciamus nostri memoriam post mortem brevi deletum iri. Tali medio rex Josias usus olim fuit ad avocandum Hebræorum populum a cultu idolorum, IV. Regum XXIII. dum lucos, excelsa et altaria idolorum succendit et in pulverem redegit, eaque loca ossibus mortuorum et

cineribus replevit. Multa adhuc idola latent in cordibus peccatorum: tot videlicet, quot creaturæ amatae supra Deum. Quæ si cinis et memoria mortis exterminare nequit ex illorum animis, quid aliud poterit? Non vult tamen Ecclesia usum creaturarum nobis prorsus interdiceret et abominabilem reddere hac cineris cæremonia, sed usum earum inordinatum, immoderatum et illicitum. Quemadmodum enim mater videns filios comedere nimios fructus et obsonia, non valde salutaria; cum ea omnino dissuadere nequeat vel auferre, suadet ut saltem panem una cum illis comedant, quominus noxia sint: ita et Ecclesia cum impetrare nequeat ut rebus periculosis, deliciis, honoribus, divitiis, etc. prorsus absteineamus, suadet ut saltem iis moderate utamur et sine peccato; hoc autem futurum sperat, si iis cinerem adderemus et mortis memoriam identidem recoleremus; id quod profecto fecit David rex, qui Psalmo CI. ait: *Cinerem tanquam panem manducabam, et potum meum cum fetu miscabam.* Quare, auditores, submittamus capita nostra salutari huic cineri, quem si solide et sedulo inspiceremus, tum denique non modo stultitiam omnem pellere possemus, sed præterea veram sapientiam nobis comparare. Quam nobis, etc.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

CINERIS ASPERSIO AD QUID.

Cinerum sacrorum aspersio utilis. — I. Superbiam domat. — II. Extinguit concupiscentiam. — III. Inimicitias et odia conciliat. — IV. Pœnitentiæ lacrymas parat.

THEMA.

Memento homo quia pulvis es, et in pulverem reverteris. Gen. III.

Res prorsus inutilis videtur esse cinis, ac ne res quidem; cum ignis omnia alia devorans, solum ex iis relinquat cinerem, tanquam rem nullius momenti. Et tamen interim cinis suas etiam operationes habet et commoda. Quare non video cur aliquis quantumcumque sit, resurgere ss. cineres debeat. Quoties enim magni domini calamum scriptorium suis auribus imponunt? Et tamen ipse calamus penna non nisi anserina est.

Sed nimirum ad scribendum utilis est, si manscite ducatur. Pari modo cineres videntur esse inutiles, sed si pia cum meditatione capiti imponantur, multum homini proderunt; uti nunc videbimus.

I. Cinis contegit et sepelit quasi splendorem ignis. Similiter mentis elationem sopit mortis memoria seu cinis. Videmus pavonem explicare flabellum suum et seipsum in eo contemplari ac quasi demirari, ostentare etiam se aspicientibus, quasi laudari gauderet; at cum fœdos et cinericii coloris pedes suos aspicit, illico flabellum dimittere præ erubescencia pennasque suas pulcherrimas abscondere. Pennæ tales in homine sunt forma corporis, doctrina, nobilitas, dignitas, opes, quæ plerumque hominem inflant faciuntque insolentem, jactabundum honoris et laudis cupidum. Verum si aspiceret homo in pedes suos luteos, h. e. in cinerem, in quem resolvetur ac desinet omnis ille splendor et orna-

tus; utique mox flabellum demitteret et fastum, suæque fragilitatis ac mortis memor erubesceret. Pavo talis fuit Nabuchodonosor ejusque statua, quam in somnis vidit; quæ cum ex auro, argento, ære et ferro esset conflata, pedes interim luteos haberet, unius lapidis ietu dissoluta est. Non tetigit lapis aurum vel argentum, æs aut ferrum, sed luteos tantum pedes, et tamen omnia illa simul corruerunt, qui supra lutum edificata fuerunt, sieque omnia pariter redacta quasi in favillam sunt, Dan. II. Pari modo omnia, quæ in hoc mundo splendent, divitiæ quasi aurum, forma quasi argentum, scientia quasi æs, potentia et robur quasi ferrum, supra lutum extructa sunt, de quo homo factus est. Quid ergo extolleris de istis, cum omnia tam fragili fundamento nitantur? Tangit mors hoc lutum, et cum eo omnia concidunt, atque in cinerem rediguntur.

II. Cinis hirundinum inglaviem et sugendi sanguinis appetentiam extinguit: *Parum cineris assume*, ait Vinc. Bellov. I. XX. spec. major. c. CLV. *et pulveriza super os hirundinis: statim se contrahit et ab appetendo cessat.* Idem teslatur Galen. tom. V. class. VI. c. I. Quinam tales hirundines? *Sanguisugæ duæ filie dicent: Affer, affer*, ait Sapiens, Prov. XXX. Duæ nimirum illæ concupiscentiæ notatæ a Joan. I. ep. c. II. *Concupiscentia carnis, et concupiscentia oculorum.* Sanguisuga ita sanguinis avida est ut haustum evomat quo recentem sugat avidius, teste Isidor. I. XII. etymol. c. V. sic gulosi vomunt ut bibant, bibunt ut vomant. At vero si cinerem esse se, et vermibus nutrire carnem suam perpendant: num adhuc sugere volent? Si opes quas tot studiis et curis quæerunt, cogitent sibi relinquendas in morte, et præter unam sindonem nihil hinc elaturos, num adhuc sugere pergunt? Certe Esau considerans se moriturum aliquando, jus primogenituræ suæ pro vili lentis edulio vendidit: *En morior*, inquit, *quid mihi proderunt primogenita?* Gen. XXV. Pharao nulla alia plaga permoveri potuit ut dimitteret populum Hebræorum sibi subjectum, nisi aspectu mortis primogenitorum: hic contemnere eum fecit tam numerosum populum. Neque hoc in solo rege operata est mortis cogitatio, sed et in populo Ægyptio, ut non gravate darent et permetterent Hebræis vasa aurea et argentea; imo urgerent eorum discessum, dicentes: *Omnes moriemur*, Exod. XII. Achab impius rex cum vineam a Naboth per vim et cædem ejus extorsisset, surrexit et descendit in vineam Naboth, ut eam possideret, sibique pro animi sui relaxatione excoleret et aptaret. Verum in via occurrit illi Elias, et denuntiat sententiam mortis: *In loco hoc, quo lincæerunt canes sanguinem*

Naboth, lambent quoque sanguinem tuum. Quo aucto mox relicta vinea et molitione sua domum rediit, *et operuit cilicio carnem suam jejunavitque et dormivit in sacco et ambulavit demisso capite*, III. Reg. XXI. Stultum enim reputavit reum morti adjudicatum, non de morte, sed de hortis, palatiis, recreationibus cogitare. Quid agunt plerique in mundo? Perpetuo cogitant, quomodo emant, vendant, ædificent, plantent, recreationes et convivia instituant, denique insaniant. Hodie denuntiatur illis mortis sententia, sacerdote asserente, eos si minus, uti Naboth a canibus, certe a vermibus devorandos esse. Quis hæc audiens non referat pedem a mundi deliciis, intretque domum cordis sui, ut lacrymis et pœnitentiæ operibus se ad mortem paret?

III. Cinis seu pulvis inimicitiam et contentionem inter apes dissolvit. Sic enim scribit Virgil. in Georg. qui ubi descripsisset apud inter se certantium agmen, subdit: *Illi motus animorum atque hæc certamina tanta, pulveris exigui jactu compressa quiescunt.* Poterit ergo pulvis etiam contentiones hominum componere, si mortem cogitare velint. Certe antequam civitas Piurenensis, anno 1618. montis ruina opprimeretur, præcessit quasi omen, pugna inter duo apum examina tam vehemens, ut utrinque omnes mortuæ conciderint. Igitur in pulvere saltem pacem inierunt, dum in pulvere sepultæ sunt. Non caret mysterio, quod Gen. III. legimus de Laban et Jacob, qui cum acri contentione verborum inter se certarent, tandem cedente Laban erexerunt tumulum et comederunt super eo, sanxeruntque amicitiam, appellantes eum *tumulum testimonii*. Tumulus ille sepulcri typus est, quod etiam *tumulum* appellamus. Ergo si inter nos aliquando non possumus convenire, erigamus quæso cogitatione nostra tumulum, et super eo considereamus ac comedamus: cogitemus nos in tumulo omnes ad pacem componendos; sic speranda est concordia. Optima hæc mensa est, testis mortalitatis nostræ.

IV. Cinis lixivium nobis parat ad eluendas sordes idoneum. Non dissimiliter cinis sacer capitibus nostris inspersus parat acres et amaras lacrymas pœnitentiæ ad expianda peccata. Quæ ratione? Quando cogitamus sententiam mortis a Deo in nos latam esse ea voce: *Pulvis es et in pulverem reverteris*, quis enim non terreatur tali audito nuntio? Certe Saul quando a Samuele jam defuncto audivit: *Cras tu et filii tui mecum eritis*, perterritus cecidit porrectus in terram, diuque quasi extra se jacuit in terra, nec voluit comedere, I. Reg. XXVIII. In vita S. Greg. M. quidam spiritu prophetico motus nuntiat epis-